

## CAPVT II.

DE LEGE, CONSCIENTIÆ  
NORMA.

## XLVIII.

**S**icut Mens est Rector nostri: ita DEUS Mentis & Conscientiæ, qui illam circumscribit, dirigit, constringit; neque enim absque Regula fluctuat, aut sibi permittitur. Nam primo Conscientiæ præfulget *Lex divina*, Cynosura est illi, ad quam se & actus suos componere tenetur, vinculum est quod obligat, & actionibus Modum ponit. Est autem illa vel *Moralis*, vel *Ceremonialis*, vel *Judicialis*. *Moralis* illa est, quæ Sanctitatem Voluntatis divinæ nobis exprimit, conformationem nostræ ad illam perfectam requirit, atque universum genus humanum, nec non singulos in illo ad obsequium obligat. *Ceremonialis* illa est, quæ populo DEI ordinem & ritus, in externo DEI cultu, vigente adhuc Ministerio Levitico, observandos præscripsit. *Judicialis* denique illa est, quæ rationem & modum exposuit Reipublicæ Judaicæ agendi & judicandi in civilibus & criminalibus negotiis. *Prima* semper officium Regulae habet in ordine ad Conscientiam, nec ullum relinquit exceptum, atque præscribit officia erga DEUM & proximum omni tempore observanda. Atalia ratio est *Legis Ceremonialis*, quæ tantum populum Judaicum, ut suberat Ministerio Levitico, atque ad certum tempus obligavit, direxit, & Normæ rationem habuit; ut & *Legis Judicialis*, quæ præscripta tantum Reipublicæ Judaicæ, & tamdiu debuit gubernare actus in illâ societate, quamdiu duravit Politia, quâ collapsâ, & illa desit, & hanc potestatem per Legem positivâ obligandi, dirigendi, regulandi, afferit *Scriptura* DEO, tanquam Præsidi Conscientiæ, tanquam Domino jus habenti servandi, vel violatorem legis damnandi, tanquam supremo Legislatori, qui, quæ sint necessaria, utilia & salutaria homini præscribere, indicare & intimare potest & solet: & hoc est, quod Jacobus vult, dicendo: *Unus est Legislator, qui potest servare & perdere*, cap. 4. v. 12.

## XLIX.

Quantum hîc prævaricentur quidam Manichaorum pulli, ex affer-